


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:


+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Ln 4
364

Tydeman - Vita M. Porcii Catonis



n 4.364

Harvard College
Library



Gratis

SPECIMEN JURIDICUM
INAUGURALE,

EXHIBENS

M. PORCII CATONIS VITAM

A CORN. NEPOTE SCRIPTAM

ANNOTATIONE INSTRUCTAM.

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE,

EXHIBENS

M. PORCII CATONIS VITAM

A CORN. NEPOTE SCRIPTAM

ANNOTATIONE INSTRUCTAM,

THESESQUE ADNEXAS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI GUILIELMI TYDEMAN,

JURISCONSULTI ET ANTECESSORIS,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE HONORIBUS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

AGO TJEPKO RUARDUS SIXMA

VAN HEEMSTRA,

NOBILIS FRISIUS.


Die 23 *Junii* MDCCCXXV. *Horâ* XII — I.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD VIDUAM M. CYFVEER, J. FIL.

MDCCCXXV.

Ln 4.364



Gratis

MATRI CARISSIMAE

S.

PRAEFATIO.

Doctoratus in Jure gradum petenti Academica lex imponit progressuum specimen exhibere. In exhibendis Academicis speciminibus alii aliter versantur. Sunt, qui paulo post quam in Academiam delati sint, in ipso jam studiorum limine argumentum quaerant, ut sic per triennium vel et longius excerpentes legentesque, tandem, post multum laboris, omnibus numeris, quantum fieri possit absolutissimam dissertationem edant. Hi profecto maximam laudem merentur. Sunt alii, quorum non adeo consilium est novi quid proferre, quam quidem legi satisfacere. Virium mearum tenuitatis conscius, posterioribus me annumerari maluerim. Cum enim nondum per tres annos in Juris studia incubuerim, a me profecto nullus erit, ut opinor, qui doctam et elegantem dissertationem exspectet: cumque causae sint, quae prohibeant, quominus diutius in Academia verser et Virorum Clarissimorum lectionibus intersim, tractandam mihi sumens materiem viribus meis aequam, Vitam M. Porcii Catonis a Nepote scriptam, annotatione instruxi. Hujusmodi quid cum nec nimis difficile esset nec nimis longum, varietate sua jucundum fore arbitrabar. Accedebat quod Nepos egregius scriptor sit, ejusque vitae in orationis simplici nativaque pulchritudine, narrationis perspicuitate et morum ingeniorumque significatione quasi vivas virorum imagines offerre videantur, et efficaces cum

ad

ad delectationem, tum ad communicationem admirationis, commiserationis, omniumque affectuum, qua legentium animi versentur et veluti in rem praesentem abripiantur. (*) *Cumque Cato fuerit et in bello magnus vir et in pace, dignissimus fuisse censendus est, cujus vita a Nepote inter excellentes Imperatores Romanos conscriberetur. Licet enim senex demum literarum studium arripuerit, hoc tamen non prohibuit quominus felici ingenio, acutoque judicio juvenis jam quam maxime valeret, gravissimosque in republica honores consequeretur. Natus enim cum esset a. U.* 521, *primum stipendium meruit ad Capuam militans a.* 539: *porro a.* 544 *ad Tarentum stipendium fecit, sequentique anno* 545 *Tribunus Militum in Sicilia fuit, et non multum post a.* 548 *Quaestor obtigit Scipioni: in urbem rediens a.* 551 *Aedilis plebis factus est, et quadriennio post a.* 555 *Sardiniam provinciam obtinuit: post Consulatum a.* 558 *cum Flacco gestum, Proconsul ex eadem provincia triumphavit: post ductum triumphum a.* 562 *Legatus factus est Glabrionis, Romamque reversus cum Flacco Censurae praefuit a.* 569. *Post aliquod tempus senex jam a.* 600 *Galbam Praetorem, Lusitanos diripientem, accusavit: et denique, postquam a.* 604 *Carthaginem, nova molientem, delendam censuisset, dimicassetque in Senatu cum Scipione urbem servandam censente, sequenti anno* 605 *morte senex literis, reipublicae, bonaeque causae ereptus est!*

(*) Est hoc judicium Wyttenbachii in Biblioth. Critic. P. XII, p. 116.

COR-

CORNELII NEPOTIS

VITA

M. PORCII CATONIS.

Cato, ortus municipio Tusculo, adolescentulus, 1.
priusquam honoribus operam daret, versatus est in
Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habe-
bat. Hortatu L. Valerii Flacci, quem in Consula-
tu Censuraque habuit collegam, ut M. Perperna
Censorius narrare solitus est, Romam demigravit,
in foroque esse coepit. Primum stipendium meruit 2.
annorum decem septemque, Q. Fabio Maximo, M.
Claudio Marcello Consulibus. Tribunus militum in
Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est C.
Claudii Neronis, magnique ejus opera existimata est
in praelio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, fra-
ter Hannibalis. Quaestor obtigit P. Cornelio Sci- 3.

pioni Africano, Consuli: cum quo non pro sortis necessitudine vixit. Namque ab eo perpetua dissensit vita. Aedilis plebis factus est cum C. Helvio. Praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua, Quaestor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poëtam deduxerat: quod non minoris existimamus, quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.

II. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco. Sorte provinciam nactus Hispaniam Citeriorem, ex ea
2. triumphum deportavit. Ibi quum diutius moraretur, P. Scipio Africanus Consul iterum, cujus in priore Consulatu Quaestor fuerat, voluit eum de provincia depellere, et ipse ei succedere. Neque hoc per Senatum efficere potuit, quum quidem Scipio in civitate principatum obtineret: quod tum non potentia, sed jure respublica administrabatur. Qua ex re iratus, Consulatu peracto privatus in urbe mansit.
3. At Cato, Censor cum eodem Flacco factus, severe praefuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animadvertit, et multas res novas in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur, quae jam tum in-
4. cipiebat pullulare. Circiter annos octoginta usque ad extremam aetatem ab adolescentia, reipublicae causa suscipere inimicitias non destitit. A multis tentatus, non modo nullum detrimentum existima-

tio

tionis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit.

In omnibus rebus singulari fuit prudentia et indu- III.
stria. Nam et agricola solers, et reipublicae peritus,
et jurisconsultus, et magnus imperator, et probabilis orator, et cupidissimus literarum fuit. Qua- 2.
rum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum in iis progressum fecit, ut non facile reperire possis, neque de Graecis, neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit oratio- 3.
nes. Senex scribere historias instituit: quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas Regum Populi Romani. Secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica. Ob quam rem omnes Origenes videtur appellasse. In quarto autem bellum Punicum primum; in quinto secundum. At- 4.
que haec omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaque bella pari modo persecutus est, usque ad Praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In iisdem exposuit quae in Italia Hispaniisque viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, multa doctrina. Hujus de vita et moribus plura in eo li- 5.
bro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu T. Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus.

pioni Africano, Consuli; cum quo non pro sortis necessitudine vixit. Namque ab eo perpetua dissensit vita. Aedilis plebis factus est cum C. Helvio. Praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua, Quaestor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poëtam deduxerat: quod non minoris existimamus, quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.

II. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco. Sorte provinciam nactus Hispaniam Citeriorem, ex ea
2. triumphum deportavit. Ibi quum diutius moraretur, P. Scipio Africanus Consul iterum, cujus in priore Consulatu Quaestor fuerat, voluit eum de provincia depellere, et ipse ei succedere. Neque hoc per Senatum efficere potuit, quum quidem Scipio in civitate principatum obtineret: quod tum non potentia, sed jure respublica administrabatur. Qua ex re iratus, Consulatu peracto privatus in urbe mansit.
3. At Cato, Censor cum eodem Flacco factus, severe praefuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animadvertit, et multas res novas in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur, quae jam tum in-
4. cipiebat pullulare. Circiter annos octoginta usque ad extremam aetatem ab adolescentia, reipublicae caussa suscipere inimicitias non destitit. A multis tentatus, non modo nullum detrimentum existimatio

tionis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit.

In omnibus rebus singulari fuit prudentia et industria. III. Nam et agricola solers, et reipublicae peritus, et jurisconsultus, et magnus imperator, et probabilis orator, et cupidissimus literarum fuit. Quarum 2. studium, etsi senior arripuerat, tamen tantum in iis progressum fecit, ut non facile reperire possis, neque de Graecis, neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit orationes. 3. Senex scribere historias instituit: quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas Regum Populi Romani. Secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica. Ob quam rem omnes Origenes videtur appellasse. In quarto autem bellum Punicum primum; in quinto secundum. Atque 4. haec omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaque bella pari modo persecutus est, usque ad Praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In iisdem exposuit quae in Italia Hispaniisque viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, multa doctrina. Hujus de vita et moribus plura in eo libro 5. persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu T. Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus.

 AN-

c. 43. et Ti. Coruncanius v. Cicer. pro Sulla c. 7. pro Plancio c. 8. *medio*, (quamvis Tacitus Annal. L. XI. c. 24. Coruncanios Camerio in Senatum accitos indicet, v. Perizon. Animadv. Hist. p. 193. [*leg.* 198.] ab Ernesto citatus). Caeterum quod attinet ad illud quod Cicero l. c. dicit Tusculum esse antiquissimum municipium, id explicari posse videtur ex Aurelio Victore de Origine Gent. Rom. c. 17. „Regnante Latino Silvio coloniae deductae sunt Praeneste, Tibur, Gabii, Tusculum, Cora, — ceteraque oppida."

§. 1. Romam demigravit, in foroque esse coepit. Vidimus Catonem non Romae natum, sed Tusculo municipio ortum, ideoque a Cicerone de Rep. L. I. c. 1. dictum *hominem ignotum* et *novum*, atque in Orat. pro. L. Murena c. 8. recenseri una cum *Curiis*, *Pompejis*, *antiquis illis*, *fortissimis viris*, *novis hominibus*. Quaeritur itaque quemadmodum municeps Romam demigrans, Romae, in foro esse et amplissimos in republica honores capeacere potuerit. Huic quaestioni pro nobis respondit A. Gellius in Noct. Attic. cum inquirat quid sit municipium et quid a colonia differat et quid sint municipes: hic igitur L. XVI. c. 13. sic ait: „Municipes ergo sunt cives Romani ex municipiis, legibus suis et suo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano hono-

ra-

tarii participes, a quo munere capescendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus neque ulla populi Romani lege adstricti, nisi, populus eorum fundus factus est. primos autem municipes sine suffragii jure Caerites esse factos accepimus: concessumque illis, ut civitatis Romanae honorem — caperent." etc. Ad quem locum Cf. Varro de L. L. l. VII. et l. 1. §. 1. D. ad Municipalem et in primis Alexander ab Alexandro Genial. Dier. L. IV. c. 10. qui totam rem sic explicuit: „Jus vero Quiritium, primum Archagatho medico cum taberna in compito Acilio datum fuisse legimus (*fortasse respicit* ad Plinium L. XXIX. c. 1): municipii vero illis, qui ex alienis civitatibus adsciti, munerum Romanae civitatis participes erant, nisi quod ad suffragia ferenda, et magistratus admitti non poterant; sicut Fundanis, Formianis, Cumanis, Acerranis, Laviniis et Tusculanis, qui haud multo post in civitatem admissi fuere. His namque et Campanis equitibus civitas sine suffragio data fuit: quibus postea et Arpinatibus jus suffragii, quod antea negabatur, concessum ferunt. Nonnumqnam qui ex municipiis suo jure et legibus utentes, muneris tantum cum populo Romano participes erant, nullis necessitatibus aut alia lege vel foedere adstricti, municipes dicti sunt; sicut M. Cato senex, T. Co-

Similemque versiculum habemus Sulpiciae poetriae Satirographae, et eodem alludit Virgilius Aen. L. VI. v. 848. Livius L. X. c. 22. L. XXXVIII. c. 53. et Plinius L. VII. c. 27. ex quibus omnibus locis apparet illud unicum fere fuisse Romanorum studium ut bello quam fortissimi fierent: quapropter neminem siverunt militiae se detrectare nisi cui legitima causa adesset. Esse enim poterant causae ob quas excusarentur, ut: aetas major quadraginta sex annis (Livius L. VI. c. 2 et 42. L. XXII. c. 34.) vel sacerdotium (Plut. in *Camillo*) vel immunitas a populo honoris causa concessa (Livius L. XXVI. c. 38.) vel morbus corporisve vitium (*l.* 4. §. 11. *D. de re milit.* *L.* 1 *et* 7. *Cod. Theod. de fil. mil. l.* 4 *et* 10. *de Tironibus*. v. c. quorum pollex esset amputatus inhabiles militiae judicabantur Valer. Maxim. L. VI. c. 3. §. 3. Sueton. in Augusto c. 24. amissus vero testiculus non excusabat, secundum Trajani rescriptum *l.* 4. *pr. D. de re milit.*) vel stipendia emerita, id est, si quis ante annum aetatis quadragesimum sextum militiae annos jam implevisset; cujusmodi vacationis meminit JCtus in *l.* 8. §. 9. *D. de Excusat.* Cf. Plut. in Graccho p. 835. Livius L. XXVII. c. 12. et Tacitus Annal. L. I. c. 17. Harum autem causarum, ut dixi, quem nulla excusaret, necdum vel Eques decem, vel pedes viginti annos militasset (Plut. in Graccho p. 835.)

militiae nomen dare tenebatur. Et hoc ideo constitutum fuisse videtur ut post emerita stipendia juvenes cum laude et praemiis Romam reversi, urbanos deinceps magistratus capescere possent. Apparuit hoc in Catone, qui ex militia reversus amplissimos in republica honores obtinuit, nam et Quaestor fuit, et Aedilis, Praeturam gessit et Consulatum: postque, quo appareret quantum fidei et auctoritatis cives tribuerent illi, qui et in juventute legitimos militiae annos impleverat et reliquam vitam bene prudenterque ministrans multis honoribus functus fuerat, Roma voluit ut in illum Censoris munus deferretur. Et hos quidem honores nemini obire licebat nisi qui d e c e m annos militasset, ante quod tempus nemo umquam ullum capere poterat urbanum magistratum: nam, ut Polybius L. VI. c. 17. ait πολιτικὴν δὲ λαβεῖν ἀρχὴν οὐκ ἔξεστιν οὐδενὶ πρότερον, ἐὰν μὴ δ έ κ α στρατείας ἐνιαυσίους ἢ τετελεκῶς.

§. 2. Primum Stipendium meruit annorum decem septemque. Annus aetatis XVII, quo Cato primum stipendium meruisse dicitur, jam antiquitus fuit legitimus quo inchoaretur militia, teste Tuberone (apud Gellium N. A. L. X. c. 28.) qui in primo Historiarum libro narravit Servium Tullium regem pueros esse eos existimasse qui minores essent annis septemdecim: atque inde ab anno sep-

septimo decimo, quo idoneos jam esse rei publicae arbitraretur, milites scripsisse. Videtur et hic annus Catonis tempore legitimus fuisse cum et Plutarchus idem narret: φησὶ γὰρ αὐτὸς ἑπτακαίδεκα γεγονὼς ἔτη τὴν πρώτην στρατεύσασθαι στρατείαν. Eundem huncce annum significasse videtur Silius Italicus cum L. II. v. 318. dicat:

„Pubescit castris miles, galeaque teruntur
„Nondum signatae flava lanugine malae."

et Virgilius Aeneid. L. VII. v. 162.

„Ante urbem pueri et primaevo flore juventus
„Exercentur equis, domitantque in pulvere currus"

Ad quem locum Servius, vetus Virgilii interpres, minus recte significari putat annum XVI, scribens: „Bene Romanae militiae morem exprimit (*Virgilius*): nam post pubertatem armis exercebantur et XVI anno militabant." — Quamvis autem hic annus satis constanter manserit, interdum tamen urgente necessitate praematuratus est; ut in bello Punico secundo, cum inopia esset juventutis, decrevit Senatus „ut Tribuni plebis ad populum ferrent, ut, qui minores annis septem et decem sacramento dixissent, iis proinde stipendia procederent, ac si septem et decem annorum, aut majores, milites facti essent." Vid. Livius L. XXV. c. 5. quo tempore summam fuisse juvenum inopiam exinde

 ap-

pioni Africano, Consuli: cum quo non pro sortis necessitudine vixit. Namque ab eo perpetua dissensit vita. Aedilis plebis factus est cum C. Helvio. Praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua, Quaestor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poëtam deduxerat: quod non minoris existimamus, quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.

II. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco. Sorte provinciam nactus Hispaniam Citeriorem, ex ea
2. triumphum deportavit. Ibi quum diutius moraretur, P. Scipio Africanus Consul iterum, cujus in priore Consulatu Quaestor fuerat, voluit eum de provincia depellere, et ipse ei succedere. Neque hoc per Senatum efficere potuit, quum quidem Scipio in civitate principatum obtineret: quod tum non potentia, sed jure respublica administrabatur. Qua ex re iratus, Consulatu peracto privatus in urbe mansit.
3. At Cato, Censor cum eodem Flacco factus, severe praefuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animadvertit, et multas res novas in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur, quae jam tum in-
4. cipiebat pullulare. Circiter annos octoginta usque ad extremam aetatem ab adolescentia, reipublicae causa suscipere inimicitias non destitit. A multis tentatus, non modo nullum detrimentum existima-

tio

tionis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit.

In omnibus rebus singulari fuit prudentia et indu- III.
stria. Nam et agricola solers, et reipublicae peritus, et jurisconsultus, et magnus imperator, et probabilis orator, et cupidissimus literarum fuit. Qua- 2.
rum studium, etsi senior arripuerat, tamen tantum in iis progressum fecit, ut non facile reperire possis, neque de Graecis, neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit oratio- 3.
nes. Senex scribere historias instituit: quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas Regum Populi Romani. Secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica. Ob quam rem omnes Origenes videtur appellasse. In quarto autem bellum Punicum primum; in quinto secundum. At- 4.
que haec omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaque bella pari modo persecutus est, usque ad Praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In iisdem exposuit quae in Italia Hispaniisque viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, multa doctrina. Hujus de vita et moribus plura in eo li- 5.
bro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu T. Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus.

sed cum jactura quoque repulsus esset, nisi circummissus ab eo Porcius Cato, qui tum, jam consularis, Tribunus militum a populo factus in exercitu erat, dejectis jugis Callidromi Aetolis, qui eo praesidio tenebant, super imminentem castris regiis collem, a tergo subitus apparuisset. Quo facto perturbatis Antiochi copiis, utrimque irrupere Romani et fusis fugatisque castra ceperunt." Praeterea notandum est quod Tribunatus saepius etiam iis fuerit concessus, qui, licet amplissimos jam ante in republica obtinuissent honores, a Censoribus notati senatuve ejecti fuerant; hi enim prius tribuni militum fieri debebant et tunc Senatores vid. Horatius Sat. L. I. sat. 6. v. 24. ibique veteres Scholiastae. Quod autem diu in republica obtinuit, ut juvenes Tribuni fierent, hoc postea immutatum videtur, nam, ut ait Alexander ab Alexandro Genial. Dier. L. VI. c. 18. „ Demum secuti Caesares, Tribunos ipsi delegere, homines insigni testimonio, in quibus esset specimen magnae et expertae virtutis. Quare Hadrianus Caesar viros aetatis exactae et summae prudentiae, doctos aetate et usu, ad Tribunatum evexit: vetuitque edicto, ne imberbis adolescensve tribunus fieret." — Caeterum, quod attinet ad illud quod dixi, Tribunatum fuisse primum promotionis gradum, possit mihi quis objicere quod Cicero in

Ver-

Verrina I. c. 4. et Vell. Paterc. L. II. c. 112. *Quaesturam* primum honoris gradum vocaverit, et quod Ulpianus *l.* 1. §. 3. *D. de Off. Quaest.* scripserit: „*Quaestura* ingressus est et quasi primordium gerendorum honorum sententiaeque in Senatu dicendae." Vel et, quod Cicero de Legib. L. III. c. 3. *Aedilitatem* primum adscensum esse velit ad honores ampliores. Ad horum prius respondeo, Tribunatum primum honoris gradum fuisse in *exercitu*, non item in *urbe*, juvenesque, post Tribunatum in exercitu gestum, viam sibi patefecisse ad *urbanos* deinceps magistratus. Quod ad alterum, observandum est, quod, licet Cicero legem a se in libro de Legibus recitatam, in plerisque quidem accommodaverit ad reipublicae legem, non tamen omnia sic in Romana republica fuerint ut Cicero esse vellet. Caeterum cf. Livius L. IV. c. 44.

§. 2. Tribunus Militum in Sicilia fuit. Quaenam res a Catone gestae sint, cum Tribunus Militum in Sicilia esset, satis expositae sunt a Nepotis et Livii interpretibus, in primisque a Pighio in *Annal.*, qui, locum sic interpungens ut nomina Consulum Fabii et Marcelli ad *Tribunatum*, non ad *militiam* Catonis referantur, in enarrando horum consulatu res gestas memorat e Livio L. XXXVI. c. 15. 16. 17. quare, cum acta agere nolimus, easdem hic non repetendas esse censemus.

Quae-

§. 3. Quaestura obtigit P. Cornelio Scipioni Africano Consuli. Necessitudo, quae Quaestorem inter et Consulem sive Praetorem intercedebat, satis apparet ex locis a Bosio citatis, Ciceronis Divinat. in Caecil. c. 14. et 19. Verrina I. c. 15. Post redit. in Senatu c. 14. Pro Plancio c. 11. et ab Heusingero citatis Cicer. ad Famil. L. XIII. ep. 10. et 26. Plin. L. IV. Ep. XV. 9. Add. Cicer. ad Famil. L. II. ep. 19. L. V. ep. 18. ex quibus locis inter se comparatis facile conjicitur et verbum *necessitudo* huic rei fuisse proprium et verbum *obtingere*, quod in aliis locis item dicitur *esse* vel *adesse*. Inter haec tamen verba obtingere et adesse, si quid discriminis est, fortasse erit hujusmodi, ut, cum constet aliquando Quaestorem provincialem junctum fuisse Consuli vel Praetori in provinciam ituro *sorte ductum* (Cicer. ad Quintum fratrem L. I. ep. 1. Pro Sextio c. 3.) aliquando vero lege aut SCto licitum fuisse Consuli, Quaestorem, quem vellet, sibi legendi (Livius L. XXX. 33. Manut. ad Ciceron. ad Div. L. II. ep. 19.) obtigisse dicatur Quaestor *sorte ductus*; adfuisse is, *quem Praetor vel Consul sibi legisset*. Munus autem horum Provincialium Quaestorum fuit, pecuniam publicam magistratibus attributam administrare, stipendia militibus solvere, annonam praebere ac tributum et frumentum publi-

cum

bus provincialibus exigeret. Vid. Cicero Verrina I. c. 13. praeterea Consulis debebant impensas et expensas in tabulas referre, easque, Romam reversi, post redditas rationes in aerarium deponere. Vid. Cicero Verrina II. c. 38. tum et aegrotante vel absente Praetore Jurisdictionem (v. Sueton. in Caes. c. 6. Ulpian. L. 2. *D. de officio ejus cui mand. jurisd.*) et Imperium (v. Cicero ad Atticum L. VI. ep. 6.) habuerunt: unde ratio videtur petenda, quam ob rem Sextius *Proconsul* dicatur, cum tantum Quaestor fuerit: quia nempe etiam provinciam proconsulari potestate regeret. Cicer. ad Famil. L. V. ep. 6. Sallust. Bell. Jugurth. c. 36. Caeterum, est quaestio, num, praeterquam Consuli vel Praetori etiam Imperatori Quaestor obtingere solitus fuerit. Qui hoc ajunt, praesidium petere solent ex duobus inprimis Ciceronis locis. Alter est in Orat. Phil. II. c. 29. ubi Antonius dicitur Quaestor fuisse Julio Caesari *Imperatori*. Hoc tamen, cum mihi negantium sententia probabilior videatur, sic explicari posse arbitror, ut, cum Caesar eodem satisque longo tempore et fuerit dux exercitus et Proconsul Galliae, Antonius dicatur Quaestor fuisse Caesari non adeo qualitate Imperatoris quam quidem qualitate Proconsulis Galliae. Hoc si sic explicaveris, quem ad modum etiam intelligendus est locus in Philip. XI. c. 13, non am-

amplius locus hicce argumento esse poterit, quo probetur etiam Imperatori Quaestorem obtigisse. Alter locus, qui majorem continet difficultatem, est in Orat. Post redit. in Senatu c. 15. ubi Cicero laudans Cn. Plancium, quod is omnibus provincialibus ornamentis commodisque depositis, totam suam Quaesturam in se sustentando collocasset, haec addit: „Qui si mihi Quaestor Imperatori fuisset, in filii loco fuisset." Ex hoc autem loco non probari posse, Imperatori quoque obtingere solitum fuisse Quaestorem, exinde probat Marklandus, quod Cicero tunc temporis nondum Imperator fuisset. Cum enim haec Oratio a. U. 697. habita fuisse credatur, et Cicero a. U. 689. Praetura, et a. U. 691. Consulatu functus, in provinciam ire recusasset, contendit Marklandus Ciceronem non potuisse imperatoriam appellationem mereri ante hunc ipsum, quo habita esset Oratio, annum 697; nec eo anno spem illius nominis, nisi per somnium, concipere potuisse. Quae cum ita esse censeat Marklandus, eo inducitur, ut, statuens ita ponere non potuisse Ciceronem aut alium quemquam nisi peregrinum et ignarum reipublicae Romanae et rectae consuetudinis loquendi, ex hoc loco argumentum petat, quo totam hanc Ciceroni abjudicet Orationem. Quamvis autem non negave-

rum illud a Marklando, quo suam sententiam probaret, haud infacete esse excogitatum; sic tamen Ciceronis locum cum Gesnero explicari malim, ut Cicero non dixerit se Imperatorem fuisse sed duplicem conditionem posuisse videatur: Si post Consulatum in provinciam isset, et Si Imperator Plancium habuisset Quaestorem; et sic quasi cogitaverit de potentia et auctoritate quam habituri fuissent Plancius et ipse, si illi duo magistratus, Imperatoris et Quaestoris, eo tempore in se et in Plancio conjuncti fuissent, qui caeteroquin conjungi non solerent. Et si ita hic locus intelligatur non video quem ad modum exinde probari possit Quaestorem interdum obtigisse Imperatori. — Quidquid autem hac de re fuerit, satis sit nobis hanc quaestionem non plane intactam reliquisse; difficile enim est judicare.

§. 8. Quaestor obtigit P. Corn. Scipioni Africano, Consuli; cum quo non pro sortis necessitudine vixit. Namque ab eo perpetua dissensit vita. Amicitia, sive necessitudo, quae Quaestorem inter et Consulem intercedere oportebat, non admodum magna fuisse videtur Catonem inter Scipionemque, nam, ut Nepos ait; „ Cato cum Scipione non pro sortis necessitudine vixit, ab eoque perpetua dissensit

 vi-

vitae. Videtur autem Nepos significare id quod Plutarchus in *vita* narrat: nempe, quod Cato, Scipionis in Sicilia magnificos sumtus militumque luxum et licentiam non ferens, relicta provincia, Romam ad eum accusandum profectus sit, atque cum Q. Fabio Maximo effecerit ut decem legati cum duobus Tribunis Plebis et Aedili in Siciliam ad res inspiciendas mitterentur. Atque hinc explicandum censeo illud Aurelii Victoris de Vir. Illustr. c. 47. §. 1. cum de Catone dicat eum fuisse Quaestorem sub Scipione f o r t i s s i m u m. Livii autem hac in re silentii causa in eo quaerenda est, quod, cum haec res Catoni non facile laudi tribuatur, noluerit Livius viri vitia notare quem paulo post (L. XXXIX. c. 39. seqq.) maxima laude esset laudaturus. Caeterum quaenam res a Catone in Quaestura gestae sint, non narrantur, nisi quod Livius L. XXIX. c. 25. dicat, eum hoc anno cum Scipione e Sicilia in Africam trajecisse: ipsumque et C. Laelium praefectum classis onerarias naves quadringentas, quae exercitum transvehebant, cum viginti rostratis a laevo cornu duxisse: et Scipionem cum fratre legato itidem rostratis aliis a dextro cornu. Tum Cato de se ipse loquens apud Ciceronem de Senect. c. 4. ait: „Cumque eo quartum Consule (*intellige* Q. Fabium Maximum) adolescentulus miles profectus sum ad Capuam, quintoque anno

post ad Tarentum Quaestor." Et paulo ulterius in eodem dialogo c. 13 dicit: „ Sodalitates autem me Quaestore constitutae sunt: Sacris Idaeis Magnae Matris acceptis." Quod narrans non adeo respexisse videtur ad *munus* Quaesturae, quo functus esset, quam quidem ad *tempus* quo Quaestor fuisset, id est ad tempora belli Punici secundi, quibus has sodalitates institutas fuisse narrat Livius. L. XXIX. c. 14. Caeterum quod ad has Sodalitates, hae postea degenerasse videntur in coitiones et factiones civiles et epulas ac largitiones, quibus ditiores sibi suffragia pauperiorum conciliabant: contraque has tempore Ciceronis SCtum factum est, ut constat ex ejus epistola ad Quintum fratrem L. II. ep. 3. Cff. Budaeus ad Pandectas p. 299 sq. et Salmas. ad Jus Atticum et Romanum c. 4. a Schützio in Indice Cicerionano in v. *Sodalitas* citati, quibus adde Abramium ad Ciceronis Orationem pro Coelio c. 11.

§. 3. Aedilis plebis factus est cum C. Helvio. Annus Aedilitatis Catonis et Helvii (sive ut apud Livium legitur C. Aelii) a Pighio T. II. p. 2474 constitutus est 554. Coss. L. Cornelio Lentulo et P. Villio Tappulo. Quid autem Cato et Helvius in Aedilitate gesserint, non constat: nisi quod narrat Livius L. XXXII. c. 7. „ Ab iis Ludi Ple-

beji instaurati; et epulum Jovis fuit ludorum causa," quod ut intelligatur observandum est:

1°, Quod ludi, quos Livius nominat, post reditum plebis ex monte Sacro, instituti, quotannis ante diem XVII Calendas Decembres (15 November), secundum Kalenderium Gruterianum, celebrari soliti fuerint in Circo Flaminio vid. Valer. Maxim. L. VII. c. 7. §. 4.

2°. Quod, licet Aedilibus quidem universe cura mandata fuerit Ludorum, vid. Livius L. VI. c. 42. L. XXXI. c. 4. L. XXXIV. c. 54. (cff. et Didascaliae Terentii Comoediarum:) hos vero Plebejos ludos propriis sumtibus exhibere debuerint Aediles, in iisque edendis immensos sumtus, saepeque maximam patrimonii partem, consumserint, quo auram popularem captarent. Vid. Livius L. XXX. c. 26. Cicero de Offic. L. II. c. 16 seq. et pro Milone c. 35.

3°. Quod his ludis, ad quos fabulae a poëtis emi solebant (v. Terent. in Prologo Eunuchi), in populi gratiam exhiberi solitis, epulum fuerit additum, carnesque datae populo et cibi. Vid. Livius L. XXIII. c. 25. et L. XXXIII. c. 42.

4°. Apparet ex loco Livii hos ludos Catonis tempore aliquamdiu fuisse intermissos, a Catone enim et Helvio *instaurati* dicuntur: quando vero intermitti ceperint, quaeque fuerit intermissionis causa, apud scriptores non traditur. Caeterum, quid praeter ho-

horum ludorum instaurationem, in Aedilitate, muneris hujus ratione habita, memoratu dignum gesserint Cato et Helvius, silentium scriptorum prohibet quominus tradamus: nisi fortasse instaurati h. l. ut saepius, idem significet quod *celebrati*.

§. 3. Praetor provinciam obtinuit. Qui de Praetoribus et Consulibus eorumque munere scripserunt, docent, Romae sic fuisse constitutum, ut Praetor, similiter ac Consul, post exactum magistratus sui annum, Propraetoris nomine in provinciam mitteretur, sive ad bellum gerendum, sive ad rem publicam administrandam, sive ad jus dicendum. Quod si semper ita fuit, sequetur, ut Cato, priusquam in Sardiniam profectus sit, Romae Praeturam gesserit. Cum vero Romae Praetor non fuerit, facile apparet eos, qui hoc tradunt, errare. Error autem eorum exinde ortus, quod non cogitaverint, satis diu ita Romae fuisse, ut duo Praetores in urbe jus dicerent, quatuor vero alii, (quibus non necesse erat ante in urbe Praetura functos esse) provinciis praeessent; et deinceps, cum per legem Calpurniam constituerentur quaestiones perpetuae de Repetundis, de Ambitu, de Majestate et de Peculatu, tum demum decretum esse ut omnes Praetores per unum annum Romae manerent, atque finito anno in provincias proficiscerentur vid. Ci-

Cicero in Bruto c. 27. et Sigonius de Judiciis L. II. c. 4. Lex autem Calpurnia lata est à L. Pisone a. U. 605. id est 50 annis post Catonis Praeturam Sardiniensem: hinc apparet interdum dici aliquid Romae semper locum obtinuisse, quod post multos demum annos obtinuit. Caeterum, hoc facile in errorem ducere potuit, quod Propraetorum in provincias profisiscentium ratio postea plane eadem fuerit quae Proconsulum, qui non nisi post Consulatum in urbe gestum in provinciam profisiscebantur: et quidem sic utrorumque ratio fuerit eadem ut interdum Propraetores vocentur qui revera Proconsules fuerint. Vidd. Manutius ad Ciceronem ad Div. L. V. ep. 1. Dukerus ad Livium L. XXXIX. c. 29. et ad Florum L. II. c. 20: et hinc explicandum, quod saepius accidit, ut aliquis ex Praetura, non Propraetoris sed Proconsulis nomine in provinciam mitteretur, quemadmodum M. Marcellus a. U. 538. narrante Livio L. XXIII. c. 30. et L. Aemilius a. U. 562. teste Plutarcho in *vita*. p. 256. Quod autem dixi, antiquitus non opus fuisse, ut, si quis in provinciam mitti vellet, ante in urbe magistratum gessisset, confirmari hoc poterit exemplis C. Fabii et Servii Furii qui a. U. 275. narrante Dion. Halic. L. IX. c. 16. Pro consulare imperium obtinuerunt: quin et postea P. Corn. Scipio a. U. 544, nullo dum magistratu gesto,

to, XXIV aetatis annum agens, in Hispaniam cum imperio missus est. Vid. Livius L. XXVI. c. 18.

§. 3. Praetor provinciam obtinuit Sardiniam. Annus, ad quem Pighius Tom. II. p. 250. Catonis Praeturam in Sardinia refert, est 555. Coss. T. Quintio Flaminino et S. Aelio Paeto, in quorum consulatu Livius L. XXXII. c. 27. Marcelli in Sicilia et Catonis in Sardinia Praeturae meminit: quo eodem loco Livius addit Catonem in hoc munere sanctum fuisse et innocentem, asperiorem tamen in foenore coërcendo habitum, fugatosque esse ex insula foeneratores, et sumptus, quos in cultum Praetorum socii facere soliti essent, circumcisos esse aut sublatos. Paulo ante horum Praetorum mentionem Livius dixerat ex Sicilia Sardiniaque magnos commeatus et vestimenta exercitui missa esse: hoc autem sic est intelligendum ut Marcellus et Cato haec misisse dicantur. Quod si ita est, apte retineri posse videtur lectio in Aurelio Victore de Vir. Illustr. c. 47. „Cato praetor justissimus fuit; in Praetura Sardiniam *egit*." licet Vir. Cl. Arntzenius legi voluerit *sorte egit*, quod, licet bonum sensum praebeat, plane tamen aliud quid significat: nam cum idem Vir. Cl. locis satis multis probaverit dictionem *agere*

provinciam idem significare quod administrare, regere provinciam: hoc autem cum fiat et jus dicendo et civibus consulendo et praecipue incolas ad continentiam, civitatum servatricem, adhortando, a luxuque, peste civibus perniciosiore, deterrendo, non video quam ob rem negetur, Cato recte dici posse Sardiniam *egisse* i. e. Sardiniensium mores emendasse, quippe qui, teste Livio mox citato L. XXXII. c. 27., sanctus et innocens et fortasse quidem paulo asperior, eorum magnificam luxuriem immensosque sumtus minuens, ipse se illis, quod imitarentur, exhibuit continentiae temperantiaeque exemplum. Vid. Plutarch. in *vita* p. 339.

❁

C A.

CAPUT II.

§. 1. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco. L. hicce Valerius Flaccus, quocum Cato a. U. 558. Consulatum gessit, idem est qui Catonem in Sabinis versantem hortatus fuerat ut Romam migraret v. Nepos. in Caton. c. 1. §. 1. quique Catonis postea in Censura collega fuit v. Nepos in Caton. c. 2. §. 3. Sub horum autem Consulatu parum memoratu dignum in urbe gestum fuisse videtur cum Livius L. XXXIII. c. 44. nil notaverit, nisi quod Consules, priusquam ab urbe profisiscerentur, Ver Sacrum ex Pontificum jussu fecerint. Caeterum, quid a Catone ab urbe in Hispaniam profecto gestum sit, narrabimus pag. 29 seq.

§. 1. Sorte provinciam nactus. Qui superiori anno Consulatum gesserant, similiter atque ii qui Praetores fuerant, provinciam regendam nanciscebantur, delato iis imperio lege Curiata a populo vid. Livius L. V. c. 46. L. IX. c. 38. Caesar de B. G. L. I. c. 6. Cicer. Agraria l. c. 10.

Hispani, libenterque plurimae urbes Catoni se tradunt. Sunt et quae se tradere negent; scribit ergo singulis ut diruerent munimenta, minatus bellum, nisi confestim obtemperassent, epistolasque universis civitatibus eodem die reddi jussit Vid. Frontin. Strategemat. L. I. c. 1. §. 1. Atque sic, cum unaquaeque urbium sibi soli imperatum crederet, Cato uno die dolo perfecit quod armis non facile fieri potuisset Vidd. Livius L. XXXIV. c. 17. Aurelius Victor de Vir. Illustr. c. 47. et quos citant interpretes. — Hac itaque Hispaniae parte subacta, in Ulteriorem Hispaniam progressus est Cato, auxilia laturus Manlio Praetori: in eaque expeditione tot urbes expugnavit ut ipse dicere potuerit se plures urbes expugnasse quam dies in Hispania degisse. Vid. Plut. in Catone p. 342. Caeterum hujus triumphi praeclarum exstat monimentum, quod a nobis allatum esset nisi jam Keuchenius ad h. l. attulisset.

§. 3. At Cato Censor cum eodem Flacco, severe praefuit ei potestati. Annus, quo Cato et L. Valerius Flaccus Censurae munere functi sunt, fuit U. C. 569, ideoque Lustrum constituerunt, ex computatione Pighiana, Quadragesimum nonum. Petierant autem, teste Livio L. XXXIX. c. 40., Censuram summa contentione, praeter Flaccum, P. et L. Scipiones, Cn. Manlius Vulso, L. Furius Purpureo, patricii: plebeji au-

tem

tem M. Porcius Cato, M. Fulvius Nobilior, Tib. et M. Sempronii, Longus et Tuditanus; sed omnes patricios plebejosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat. Creatus itaque Censor collegam accepit L. Valerium Flaccum. Ambo severe huic potestati praefuerunt: nam cum Senatum legerent, septem moverunt, ex quibus unum insignem et nobilitate et honoribus L. Quintium Flamininum consularem. (Praeter hunc Flamininum, quem senatu motum esse etiam narrant Seneca Declamat. L. IX. in *fine* et Controv. XXV *init.* ubi Cf. Gronov. et Schulting., Cato etiam Consulem futurum Manlium, senatu movit, vid. Plutarch. in Catone p. 124. et ex eo Alexander ab Alexandro L. II. c. 25.) In equitatu recognoscendo, ita pergit Livius c. 44. L. Scipioni Asiageni ademptus equus. In censibus quoque accipiendis tristis et aspera in omnes ordines censura fuit." Praeterea Cato, teste Festo in v. *Stata sacrificia*, equum ademit L. cuidam Veturio propter deserta sacra solemnia stata.

§. 3. Nam et in complures Nobiles animadvertit. Ex loco Livii, in proxime antecedentibus citato, vidimus Catonem septem movisse senatu, inque iis magni nominis viros, et praeterea Scipioni et Veturio equum publicum ademisse: quod Nepos sua brevitate indicat narrans Catonem in complures nobiles animadvertisse. Videndum ita-

itaque quale Censori competat jus in Romanos Nobiles animadvertendi. — Romae tres ordines fuisse notum est, Patricium, Equestrem et Plebejum; hi omnes Censoris potestati subjecti fuerunt: unoquoque enim Lustro, id est exeunte quinto quoque anno Senatus a Censoribus visitabatur, vel ut proprie dicitur, *legebatur* vid. Livius L. XXXIX. c. 42. quando quisquam, sive morum sive ratione habita ordinis, sive facultatum, a Censoribus non dignus censeretur qui tam illustri ordini adesset, in recitando Catalogo Senatorio ab iis omittebatur, quod significabat eum *motum esse e Senatu* vel *Senatu esse ejectum* vid. Livius L. XL. c. 10. quod item dicitur *a Censoribus praeteriri* apud Livium L. XXXIV. c. 44. Et sic quidem *Senatorium* ordinem notabant, quod huic rei proprium verbum fuit, saepiusque de hac re usurpatum quam quod Nepos usurpavit, animadvertit. — Alter sive *Equitum* ordo sic censebatur: Quotannis, ut narrat Livius L. IX. c. 46. Equitum transvectio locum habuit Idibus Quinctilibus (15 July): Equites coronis ornati et togis palmatis s. trabeis induti, equis insidentes, per urbem vehebantur ad Capitolium, ubi Censor, sellae curuli insidens, ab iis, equum suum manu traducentibus, salutabatur, eosque tum recognoscebat sive *censebat*. Quibus Censor contentus erat, jubebantur equum suum *traducere* vid. Ovi-

Ovidius Fastor. L. II. v. 89. Si vero Eques vitium commisisset, vel male se gessisset, vel opes suas neglexisset, vel equum non aluisset (v. Gellius N. A. L. IV. c. 20.) illi a Censore *equus adimebatur* v. Livius L. XXXIV. c. 44., jubebaturve *equum vendere?* Livius L. XXIX. c. 37. et tum is habebatur motus ex ordine equestri, unde, cui equus ademtus erat, ex ordine motus dicebatur. Si quis vero minore culpa teneretur, ejus nomen in recitando Catalogo a Censore omittebatur vid. Sueton. in Caligula c. 16. Porro, quod ad tertium ordinem attinet, monuisse sufficiat, cives vel tribu moveri fuisse solitos vel inter aerarios referri, si quid in eos reprehendendum haberent Censores, cujusmodi quid Cato et Flaccus non habuisse videntur in plebejos, ut e Nepotis et Livii silentio conjicere licet, quum ille non nisi *Nobiles* nominet, hic *Senatores* tantum et *Equites*. Jam autem quaeritur num non hujusmodi Censor, qui multos nobiles notasset, in publicum odium incurrere debuerit atque invidiam. Et hoc certe negari non potest, cum illud probet ipsum Catonis exemplum, qui et adversa nobilitate censor factus est et saepius cum nobilitate dimicavit, adeoque, ut, judice Livio L. XXXIX. c. 40, „non facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem." Quamvis autem Livii auctoritati nihil detrectatum esse velimus, illud tamen notare possumus

mus Catonem, propter Censuram severe actam, saepius fuisse accusatum, quod Aurel. Victor de Vir. Ill. c. 47. narrat: „Ipse quadragies quater accusatus." et Plut. *in vita:* „λέγεται γὰρ — τῶν πεντήκοντα φυγεῖν δίκας" ad quem locum Cf. Plinius L. VII. c. o. et Solinus Polyh. c. 1. quae cum ita sint, ipsum Catonis exemplum satis probat Censores interdum, si nimis severe censuissent, in gravissima odia incidisse. Plerumque tamen etiam evanescere solebant odia, cum illi, qui notati erant, alios honores possent obtinere, quibus sibi aditum ad Senatum atque etiam ad ipsam Censuram obtinendam patefacerent, v. Cicero pro Cluentio c. 42. et Valer. Max. L. II. c. 9 sq. quem ad modum res fuit C. Antonii, Ciceronis in Consulatu collegae; et P. Lentuli, qui, post Consulatum gestum, propter mollitiem senatu motus est, deinceps tamen tempore Catilinariae conjurationis Praetor fuit vid. Dio Cassius L. XXXVII. p. 48. Vellej. Patercul. L. II. c. 34. Aurel. Victor de Viris Ill. c. 59. quin et, narrante Dione Cassio L. XL. p. 52. Sallustius historicus, ut dignitatem Senatoriam recuperaret, a Caesare Praetor factus est; aliaque sunt exempla apud Valerium Maximum l. c. quae hoc satis superque probent: unde verisimiliter apparet animadversionem sive notam censoriam non infamiam intulisse, sed tantum ignominiam quamdam,

quam

quam Cicero apud Nonium p. 24. vocat *Ruberem*: accidit enim saepius etiam ut notae a Censoribus inustae post quinquennium a sequentibus Censoribus dirimerentur, quod vocabatur ex *aerariis eximi* apud Ciceronem de Oratore L. II, c. 66. Contrarium autem exemplum est Oppianici, apud Ciceronem pro Cluentio c. 14. qui ita a Censoribus erat notatus, ut „cum illo jam nemo rationem, nemo rem ullam contraheret: nemo illum ex tam multis cognatis et affinibus tutorem umquam liberis suis scripserit: nemo illum aditu, nemo congressione, nemo sermone, nemo convivio dignum judicaret: omnes illum aspernarentur, omnes abhorrerent, omnes, ut aliquam immanem ac perniciosam bestiam pestemque fugerent."

§. 9. Et multas res novas in Edictum, addidit qua re luxuria reprimeretur. Cum Censores populi disciplinam regerent, civesque molliter effeminateve viventes in orationibus ad mores majorum hortarentur, (v. Gellius N. A. L. I. c. 6, L. IV. c. 20. L. V. c. 9.) non mirum est iis quoque mandatum fuisse ut prohiberent, quominus, quae ad luxum pertinerent, (v. Valer. Maxim. L. II. c. 9. Gell. L. IV. c. 8.) ut unguenta peregrina vel exotica, (v. Plinius H. N. L. XIII. c. 4.) aliave, quae civium moribus corrumpendis apta essent, venderentur: concessaque iis fuit po-

testas, quae non probarent vel civitati noxia fore putarent, reprehendendi tributisque onerandi, ita ut non minus vere quam acute dixerit Montesquieu Considérat. sur les causes de la grandeur et la décadence des Romains p. 88, „*Il y a de mauvais* „*exemples, qui sont pires que les crimes, et plus* „*d'Etats ont péri parce qu'on a violé les moeurs,* „*que parce qu'on a violé les lois. A Rome, tout* „*ce qui pouvait introduire des nouveautés dange-* „*reuses, changer le coeur ou l'esprit du citoyen, et* „*en empêcher, s'il étoit permi d'user de ce terme,* „*la perpétuité, en un mot les désordres domestiques* „*ou publics étaient reformés par les Censeurs.*" Hac itaque potestate cum gauderent Cato et Flaccus, „ornamenta, ut ait Livius L. XXXIX. c. 44. et vestem muliebrem et vehicula, quae pluris quam quindecim millium aeris essent, in censum referre viatores jusserunt: item mancipia minora annis viginti, quae post proximum lustrum decem millibus aeris aut eo pluris, venissent, uti ea quoque decem, tanto pluris quam quanti essent, aestimarentur: et his rebus omnibus terni in millia aeris attribuerentur: aquam publicam omnem in privatum aedificium aut agrum fluentem ademerunt: et quae in loca publica inaedificata, immolitave privati habebant, intra dies triginta demoliti sunt." Conf. Plut. in *vita*, p. 346. Addatur Aurelius Victor de Vir. Illustr. c. 47. ubi

sic

sic de Catonis Censura: „Matronis, ornamenta erepta Oppia lege, repetentibus restitit," quod ita intelligendum est ut Cato *restitisse* dicatur, id est, gravi oratione prohibuisse, quominus mulieres (quibus lege a C. Oppio Tribuno Plebis a U. 540 lata, interdictum erat ne plus semuncia auri haberent, neu vestimento versicolori uterentur: v. Livius L. XXXIV. c. 1. et Tacit. Annal. L. III. c. 33.) interdictum sibi jus repetentes, libere, et pro arbitrio vestire se possent. — Ex loco autem Livii, quem ex L. XXXIX. c. 44. modo exhibuimus, apparet quantum augmentum Catonis tempore jam cepisset Censoris munus, quod, ante, cum institueretur, nil nisi civium censum sive recensionem spectasset. Quapropter haud absque veri similitudine statui potest, potestatem hanc, quam nulla in Romana Republica aequiparabat, eo tandem venisse, ut plane libera nec rationibus reddendis obnoxia esset. Quod si verum est, rectius judicasse censendus erit Dionys. Halic. p. 748. Censuram *irresponsabilem* fuisse aiens cum dicat: Οἱ (Ῥωμαῖοι) τὴν ἀνυπεύθυνον ἔχοντες ἀρχὴν οὓς ἡμεῖς τιμητὰς καλοῦμεν, quam Valerius Maximus L. VII. c. 11. §. 6. Censuram h o n o r e m esse dicens q u i e x i g e r e d e b e a t r a t i o n e m. Valerio favens Beaufortius Hist. Reip. Rom. p. 308. in Dionysium invehitur, aiens facile illum errare, nec quidquam il-

illi, nisi ante explorato, credendum: qua in re nimis severe a Beaufortio judicatum esse arbitror, cum Dionysii sententia, praeterquam quod probabilior sit, insuper ex Livio praesidium accipiat, ubi L. XL. c. 46. Q. Caecilius Metellus sic Censores alloquitur: „Non obliti sumus, Censores, vos paulo ante ab universo populo Romano, moribus nostris praepositos esse: et nos a vobis et admoneri et regi, non vos a nobis oportere." Caeterum de hac quaestione cf. J. A. C. Rovers Diss. Lit. de Censorum auctoritate ex existimatione, Traj. ad Rhen. 1824. quem virum doctissimum p. 25. hac in re a nobis dissentientem miror non attulisse locum Valerii Maximi: praeterea de Censoribus eorumque munere extat dissertatio philologica, (rara saepiusque frustra quaesita) scripta a Francisco a Bochoven, ab eoque a. 1697 in hac Academia Praeside V. Cl. J. Perizonio defensa; quae interdum perperam sub Perizonii nomine citatur: et nuperrime de eodem argumento prodiit Commentatio viri nobilissimi A. H. v. d. Boon Mesch in Annal. Acad. Gandavensis.



CA-

CAPUT III.

§. 1. Nam et agricola solers et reipublicae peritus et Juris consultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus literarum fuit. *Instituti nostri ratio prohibet quominus de singulis hisce Catonis dotibus peculiariter agamus; quapropter, reliquas mittentes, videamus qualis fuerit Juris consultus, quid ex aliis scriptorum locis de ejus Jurisprudentiae cognitione innotescat, quidque in hac arte praestiterit.*

Cato dum puer erat, Romae florebant JCti admodum celebres P. Licinius Crassus, v. Livius. L. XXX. c. 1. P. Corn. Scipio Nasica, de quo v. Rupertus ad Pompon. p. 323. et *l.* 2. §. 37. *D. de Q. J.* et Q. Mucius, de quo v. Cicer. de Orat. L. II. c. 45. et *l.* 2. §. 37. *D. de O. J.* Praeter hos, Sex. Aelius Paetus Catus magnam nominis famam consecutus erat editis Commentariis de Jure Civili, et libro cui titulus Tripertita Juris Civilis v. Cicer. de Orat. L. I. c. 56.

et

et *l.* 2. §. 37. *D. de O. J.* et ejusdem, cujus Aelius, laudis socius L. Acilius, editis Commentariis in XII Tabulas. v. Cicer. de Legib. II. c. 23. et l. 2. §. 38. de O. J. Quot autem quantaque fuerint horum omnium merita, omnes hos, cum ingenio tum scientia, longo post se intervallo reliquit Cato, de cujus Jurisprudentiae peritia plurima apud veteres auctores extant testimonia. Sic Crassus apud Ciceron. de Orat. L. I. c. 37. „Quid vero ille M. Cato? nonne et eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora, atque illa aetas in hac civitate ferre maximam potuit, et Juris civilis omnium peritissimus? Cf. c. 49. et c. 53. tum L. II. c. 33. diserte ab Antonio inter JCtos refertur; Cf. et L. III. c. 33. Nec minus honorificum est Livii judicium, qui L. XXXIX. c. 39. „ei tam versatile, inquit, ingenium pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum dixisses, quodcunque ageret. In bello enim manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis; idem, postquam ad magnos honores pervenit, summus imperator, idem in pace, si quis jus consuleret, peritissimus, si caussa agenda esset, eloquentissimus fuit." Add. Valer. Maxim. L. VIII. c. 7. §. 1. et Quinctil. Inst. Orat. L. XII. c. 3. — Caeterum opera, quae ab illo scripta apud alios memorantur, omnia paene perierunt; spectasse haec

par-

partim historiam videntur, partim agriculturam, partim juris scientiam. Quae ad Juris scientiam pertinuisse videntur sunt Commentarii Juris Civilis saepius a Festo et Nonio memorati, cum libri de Tribunis Militum quos Nonius nominat in v. *Proletarii*: porro opus de Disciplina Militari, cujus mentionem faciunt Vegetius L. I. c. 8. et Plinius H. N. in *praefatione*, et, ad hoc respiciens dicit Valer. Max. L. III. c. 4. §. 6: „Adjuta ab eo disciplina militaris:" denique Orationes, quarum amplius centum quinquaginta suo tempore superfuisse testatur Cicero in Bruto. c. 17. Praeterea h. l. non negligenda sunt quae apud Ciceronem de Oratore L. III. c. 33 dicuntur: „*Perpetui juris, et universi generis quaestio non hominum nomina, sed rationem dicendi, et argumentorum fontes desiderat. In quo etiam isti nos JCti impediunt, a discendoque deterrent. Video enim, in* Catonis *et* Bruti *libris nominatim fere referri, quid alicui de jure viro aut mulieri responderint: credo, ut putaremus, in hominibus, non in re, consultationis aut dubitationis causam aliquam fuisse; ut, quod homines essent innumerabiles, debilitati a jure cognoscendo, voluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abjiceremus.*" Ex quo loco patere videtur Catonem et Brutum singulari et antea Romae inaudito more de jure respondisse. — Addi possent ea quae in

 Cor-

Corpore Juris ex Catone citantur v. c. de Regula Catoniana, cujus mentio fit in *l. 1. D. de reg. Cat. l. 86. de Cond. et demonstr. l. 10. §. 1. de Aedil. Ed. l. 44. solut. matrim. l. 5. §. 1. de V. O.* et *l. 98. §. 1. eodem*: tum de iis quae ex ejus libris proferuntur de adoptione servorum §. 12. *Instit. de Adopt.* tum quae de servo mutilo morboso *l. 10. §. 12. D. de Aedil. edict.*: porro, quae de socero a genero instituto herede *l. 44. pr. D. solut. matrim.* deinde quae de poena certae pecuniae promissa, *si quid aliter factum sit. l. 4. §. 1. D. de V. O.* et praeterea quae de die intercalari *l. 98. §. 1. D. de V. S.* dicantur. Haec autem mittenda censemus propterea, quod probabiliter non fuerint nostri Catonis, sed potius filii ejus, qui idem nomen habuit, quique, postquam egregios de Juris disciplina libros scripsisset (v. Gellius L. XIII. c. 18. et *l. 2. §. 38. D. de O. J.* et *l. 4. D. de Verb. Obl.* et Festus in v. *Mundus*) vivo adhuc patre, nostro Catone, exstinctus est, vid. Cicero de Senect. c. 23. Livius Epitome L. XLVIII. et Justinus L. XXXIII. c. 2. De his autem libris non negligendum est quod observat Heineccius, eos nempe Ulpiani et Pauli aetate jam nondum superfuisse; *in* §. 12. enim *Instit. de Adopt.* ita legitur: „Apud Catonem bene scriptum refert

fert antiquitas, servos, si a domino adoptati sint, ex hoc ipso posse liberari." tum *l.* 10. §. 1. *D. de Aedil. Edicto* ait Ulpianus: „Catonem quoque scribere lego, cui digitus de manu, aut de pede praecisus sit, eum morbosum esse." et denique *l.* 4. §. 1. *D. de V. O.* Paulus ait: Cato libro XV scribit: *poena certae pecuniae promissa, si quid aliter factum sit*, mortuo promissore, si ex pluribus heredibus unus contra quem cautum sit, fecerit: aut ab omnibus heredibus poenam committi pro portione hereditaria, aut ab uno pro portione sua etc." Ex horum trium duobus prioribus locis sine dubio apparet, quod volebamus, Catonis libros Ulpiani Paulique temporibus non amplius superfuisse; tertius autem locus (in quo Paulus dicit: Cato libro XV scribit) quodammodo obstare videtur propter indubitatam fidem qua Paulus haec dicit: fortasse tamen, et si sic explicaveris non amplius obstabit locus, Paulus haec ita propterea dixit, quod, cum apud *plures* fide dignos idem legisset, non dubitaverit quin revera in libro XV sic Cato quondam scripsisset.

§. 1 et 3. Probabilis Orator. Ab adolescentia confecit orationes. Catoni cum tam versatile fuerit ingenium pariter ad omnia simul, ut, quodcunque ageret, natus ad id unum videretur, non mirum est illum quoque in Eloquen-

 tia,

tia, praecipuo Romanorum studio, haud infimum locum obtinuisse. Num vero aliquis in hac illave arte excelluerit, optime judicari potest ex operibus. Opera autem cum hoc in genere Catonis non supersint, aliorum judicio testimoniisque contenti esse cogimur. Et profecto testimonia hac in re non pauca, eaque laudantia sunt. Praeterquam enim quod a Diodoro Siculo p. 382. propter eloquentiam cognomine *Demosthenis* ornatus sit, et a Cicerone in Bruto c. 16. cum *Lysia* comparatus, Plutarchus p. 339. has virtutes Catoni fuisse affirmat, ut esset εὔχαρις ἅμα καὶ δεινὸς, ἡδὺς καὶ καταπληκτικὸς, φιλοσκώμμων καὶ αὐστηρὸς, ἀποφθεγματικὸς καὶ ἀγωνιστικός. A Nepote h. l. probabilis, a Plinio H. N. L. VII. c. 27. optimus orator nominatur. Luculentissimum vero judicium est Ciceronis in Bruto c. 17. cujus locus recte possit hic exhiberi: est autem hujusmodi: „ Catonem vero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit? aut quis novit omnino? At quem virum? dii boni! mitto civem aut senatorem, aut imperatorem: oratorem enim hoc loco quaerimus: quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in sententiis argutior? in docendo edisserendoque subtilior? Refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta (quas quidem adhuc invenerim et legerim) et verbis et rebus illustribus: li-

licet ex his eligant ea, quae notatione et laude digna sint; omnes oratoriae virtutes in eis reperientur." Quod autem attinet ad Orationes, quas Nepos Catonem ab adolescentia fecisse narrat, fuerunt hae quondam plurimae numero, adeo, ut Ciceronis aetate, velut ipse ait in loco mox citato, centum amplius quinquaginta superessent; harum autem nullam temporum injuria nobis concessit, cum omnes praeter quaedam fragmenta perierint. Et ne omnium quidem harum *nomina* nobis servata sunt. Bachius in Hist. Jurispr. Roman. p. 249. nominat has:

1. De pecunia regis Antiochi. Livius L. XXXVIII. c. 55.

2. In Q. Flaminium. Livius L. XXXIX. c. 42.

3. De Dote. Gellius N. A. L. X. c. 23. [Festus in v. *Pellicalationem* p. 333. ed. Dacer.]

4. Pro L. Furio contra Cn. Gellium. Gell. N. A. L. XIV. c. 2. [Festus v. *Vindiciae* p. 593. Servius ad Virgil. Aen. L. IV. v. 244. Nonius p. 153. edit. Paris. 8°. vid. Grammatici a Putschio editi p. 186. 189. 192.]

5. De praeda militari. Nonius v. *Fite* [p. 475. Festus v. *Resignare* p. 444.]

6. De praeda in publicum referenda. Priscian. L. VII. extr. [Gramm. Putsch. p. 785.]

7. In Servium Galbam. Cicer. in Bruto. c. 20.

c. 20. [Livius Epitome L. XLVIII. Cicer. de Oratore L. I. c. 53. L. II. c. 65. ad Atticum L. XII. ep. 5. pro Murena c. 28. Sueton. in Galba c. 3. Valer. Max. L. VIII. c. 1. §. 2. L. VIII. c. 7. §. 1. Orosius L. IV. c. 21.]

8. De Foeneratione Legis Juniae. Festus v. *prorsus* [p. 387. Nonius p. 64.]

Licet concedamus, Bachium, virum elegantissimum, Ernestinae Scholae alumnum, harum *octo* tantum orationum nomina memorantem, pro instituti sui ratione satis multas memorasse: operae tamen pretium esset inquirere nomina, quotquot a Veteribus servata sint, omnium Catonis orationum, citatis auctorum locis in quibus earum mentio fiat. Cum autem nec nostri instituti ratio sinat ut harum omnium nomina colligamus, sufficiat monuisse, siquis Festum, Nonium et Grammaticos a Putschio editos excerpserit, illum, harum numerum facile ultra LX fore extensurum. Praeterea antiqui veterum poëtarum Scholiastae nonnullas memorant, veluti Servius ad Virgil. Ecl. IV. v. 58. Ecl. VI. v. 76. Georg. I. v. 46. Aen. I. v. 577. et Scholiasta Persii ad Sat. III. v. 43. Cff. et Livius L. XXXIV. c. 2. Cicero de Orat. L. II. c. 63. Tusc. I. c. 2. Gellius L. XVII. c. 3. Plinius H. N. L. XXXIV. c. 6. Solinus Polyh. c. 31. et Isidorus Origin. L. XX. c. 3.

§.

§. 3 seq. Senex scribere historias instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas populi Romani etc. Est hic de Catonis Historiarum opere classicus locus, a plerisque citatus qui hoc argumentum tetigerunt; ex hoc enim discimus quae alias nesciremus v. c. totum opus fuisse septem librorum; primi libri argumentum fuisse res gestas regum; secundum et tertium librum exposuisse originem Italiae civitatium; quartum librum versatum fuisse in bello Punico secundo; deinde, opus finire in Praetura Ser. Galbae qui Lusitanos diripuit; denique, Catonem posteriora bella ita descripsisse ut bellorum duces non nominaret, sed res gestas sine nominibus notaret; et alia, quae quisque legens facile observat. Difficile autem est judicare, quid sibi voluerit Nepos scribens haec omnia capitulatim esse dicta. Fortasse significare voluit hos libros scriptos fuisse in formam Annalium; quod ut credamus facit locus apud Ciceronem de Legibus L. I. c. 2. „ Nam post Annales Pontificum Maximorum, quibus nihil potest esse jejunius; si aut ad Fabium, aut ad eum, qui sibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias, quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile quam isti omnes?" Ab hoc autem loco valde discrepat alius apud Ciceron. de Orat.

Orat. L. II. c. 12. „Itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit, aliique permulti, talis noster Cato et Pictor et Piso, qui neque tenent, quibus rebus ornatur oratio, et, dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem." Hoc autem judicii discrimen in unius Ciceronis operibus sic conciliatur, si cogites in illo loco, *de Legibus*, loqui Atticum: in hoc vero, *de Oratore*, Antonium. Antonio autem, (licet Cicero per totum opus non aeque lateat sub hujus quam sub Crassi persona vid. B. A. NAUTA *de Perfecto Oratore ex sententia Ciceronis* p. 46.), cum in dicendo ad Crassi facultatem proxime accederet, partem quoque suae sententiae explicandam tradidit Cicero; (v. idem Vir Doct. l. c. p. 50.) idque de hac Antonii sententia dicendum esse apparet e loco in Bruto c. 17. ubi Cicero ipse ex sua sententia judicans, similiter atque Antonius fecit, Catonem cum Thucydide comparat. Caeterum cum septem hi libri omnes perierint insignem jacturam fecit et Historia Romana et Jurisprudentia et Literae, cum praestantissimos illos fuisse et Cicero judicet aliique peritissimi aequales, et honorifica, quamvis brevi laude, ornet Nepos dicens: „In iis multa industria et diligentia comparet, nulla doctrina." et ad idem opus respiciens Valer. Max. L. III. c. 4. §. 6. dixerit „ornata esse ab illo li-

te-

terarum latinarum monumenta." et Horatius in Art. Poet. v. 56. canat, quod

„ Lingua Catonis et Enni
„ Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
„ Nomina protulerit."

Fragmenta autem, quae hic illic apud Auctores et Grammaticos dispersa essent, collegit, recensuit, notisque instruxit Ausonius Popma, cujus editio prodiit Lugd. Bat. 1598. 8°. repetita Franequerae 1620. 8°. Novissima autem editio esse videtur quae cura Jo. Christo. Haynisch prodiit Schleizae 1743. vid. T. C. Harles Introductio in notitiam Literaturae Romanae *Norib.* 1781. Tom. I. p. 185.



THESES.

I.

Exhaeredato filio pater recte dat tutorem.

II.

Vestium non quasi sed verus ususfructus est.

III.

A sententiis arbitrorum compromissariorum appellari non licet.

IV.

Non recte Medici exigunt quae aegrotantes promisere.

V.

THESES.

V.

Adolescentibus invitis non datur curator.

VI.

Minus recte agunt qui sine Juris Romani scientia Jus Hodiernum intelligi posse contendunt.

VII.


Scire leges non est earum verba tenere sed vim ac potestatem.



This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.




Ln 4.364
Specimen juridicum inaugurale exhib
Widener Library 007051594
3 2044 085 212 488